

Ze 3616 7  
ORATIO.

DE.

NOBILITATE.  
GENTIS.

QVAM.

GYMNASIUM. FREI-  
BERGENSE.

CUM.

COLLEGIO. ILLUSTR.  
TUBINGENSI.  
PERMUTATURUS.

PUBLICE. HABUIT.

CHRISTIANUS. Gottlieb Reichbrod.  
A. Schrenckendorff.



TYPIS. BEUTHERIANIS.

VIRO.  
NOBILISS. MAGNIFICO. CONSULTISS.  
PRUDENTISS.

DN. CHRISTIANO  
BREHMIO.

SERENISS. S. R. J. PRÆFECTI. PRÆTORIO,  
CONSILIARIO. SPECTATISS.

ET.

REIPUBL. DRESDENS. CONSULI.  
PLURIM. NOMINIB. MERENTISS.

PER. TESTAMENTUM PATERNUM,  
CONSTITUTO. TUTORI,

VERE. ALTERI. PARENTI.

RERUM, SUAR, PRÆSIDIO. CERTISS.

PRO.

INNUMERIS. SIBI. TRIBUTIS. BENEFICIIS.  
EXILEM. HANC. ORATIONEM.  
OBSIDEM.

PERPETUÆ. EJUSQ. FILIALIS,  
OBSEQVENTIÆ. OBSERVANTIÆ.

GRATUM. ANIMUM. DECLARATURUS.  
DEVOTE. STATUIT.

CHRISTIANUS. Gottlieb Reichbrod.  
A. Schrenckendorff.



## B. C. D.

**V**erum sanè, Auditores, omnium ordinum, atq; dignitatum honoratissimi, omnes homines, quotquot etiam in artificiosissimam hujus mundi machinam à Præpotente Deo ablegantur, multa inter sese habere communia.

Omnes enim eundem Autorem, atq; Genitorem, æternum supremæ sedis habitatorem Deum, cui propterea in Scripturis nomen omnium hominum Patris, & Plasmatoris tribuitur, agnoscere, est in propatulo. Unde quoq; scitè admodùm Boëthius, haud infimi subsellii Poëta:

*Mal. 1, 6.*

*Omniū hominū genus in terrā*

*Simili surgit ab ortu:*

*Unus enim rerum Pater est,*

*Unus cuncta ministrat.*

*Lib. 3.*

*Met. 6.*

Quòd si dicat quis, hominem nunc non ampliùs ipsius Dei manibus fingi; sed à parentibus communi naturæ cursu generari? sciat is, me non negare id, omnium dierum experiètiâ confirmante; sed hodiènum tamen providentiæ, sapientiæq; divinæ maximè mirificæ, atq; singularis vim in hominum generatione, & formatione, tam perspicuè elucere, ut sine ipsius concursu, atq; ope, nullus generare, aut nasci possit, etiam ipso sole clariùs efful-

*Pf. 22, 11.  
Pf. 100, 3.  
Job. 10, 3.  
2, 10.*

*Gen. 2, 7.  
Censorinus  
de die Na-  
tali 6, 4.*

*Ecc. 12, 7.  
Job. 10, 9.*

effulgere, nemo inficias unquam ibit temerariè. Hinc etiam canticorum sacrorum excellentissimus artifex, Propheticus Rex David, neq; minus exemplar patientiæ præclarissimum Jobus, aliique Sancti formationem sui non tam parentibus, quam Deo Ter. Opt. Max. adscribunt, illum suum ab utero matris esse Deum factorem, cujus manibus fuerint sollicitè elaborata omnia membra, pelle, & carne vestita, ossibus, nervisque instructa, magno humilitatis studio asserentes. Cum autem omnes eidem fabricatori Deo suam debent essentiam mortales: tum præterea ex eadem constant materiâ; quam terram, & lutum fuisse luculentissimè è Sacris, ubi formasse Deus hominem de limo terræ, exsertis habetur verbis, apparet. Miram Anaximander Milesius de ortu humani generis fovit opinionem. Ipsi quippe, ex aquâ, terrâq; calefactis exortos esse sive pisces, sive piscibus similia animalia; in his homines concrevisse, fœtusq; ad pubertatem intus retentos, dum demùm ruptis illis, Viros, mulieresq; qui se jam alere possent; processisse, fuit visum. Sed huic stultæ Milesii sententiæ nobis Christianis, longè aliud edoctis in scholâ Spiritûs S. nulla planè fides adhibenda, pro maximè certo potius, hominem ex nullâ aliâ materiâ, quam terrâ factum esse, credendum. Quòd si verò objiceret, homines jam non humo, sed corpore constare carneo; id quidem falsum non esse, faterer libens, sed mihi contra, spero, dabitur, corpus humanum terræ ita proximè cognatum, ut non modò eodem nomine terrena hominis pars, & sacris paginis consentientibus, pulvis, atq; lutum adhuc vocetur; sed & plurimas terræ qualitates habere, non obscuris deprehendatur signis. Vicissitudines quippe cum terrâ experitur corpus humanum, dum modò hyberno frigore



gore adstringitur, modò tepore laxatur, modò caloribus probè percoquitur, modò humoribus abundat, modò nimis arefit, ut alia taceam. Et quid sudor subindè expressus, cum sordibus, nonne terram in hominibus loquitur, squalidam? Verum adeoq̄ve manet in singulis nostrum, imò verissimum, illud Lyricæ festivitatis antesignani, Romanorumq̄; Pindari, effatum:

*Pulvis, & umbra sumus.*

Lib. 4.  
Carm. Od.

4.

Porro eadem etiam omnes homines formà sunt præditi: Siquidem unusquisq̄; duabus ex partibus conjunctus, concretusq̄ve, corpore scilicet, & animâ. Non autem de venustate externâ, quòd os homini Deus sublime dederit, cœlumq̄ve tueri, ut Poëta canit, jusserit: Quòd manûs, & pedes aptè corpori affixi, quibus multa præclara in honorem Creatoris sui, proximiq̄ve commodum peragere valet: Quòd caput capillis exornatum: Quòd omnes partes totius corporis Organici tam aptè, tam pulchrè, tam eleganter connexæ; sed de internâ nobis sermo formà erit. Eam verò animam rationalem, à Deo omnipotente primis omnium nostrum parentibus inspiratam, & post propagatam; sed heu! post infelicem escam pulcherrimis suis opibus destitutam, esse, nullus, à primo limine qui myrothecium Biblicum salutavit, poterit ignorare. *Gen. 2, 7.*

Licet autem adhuc quilibet homo primarias facultates, intellectum nempe, & voluntatem suam habeat (sua enim voluntas Cæsari, Regi, Principi, Comiti, Baroni, Nobili, Civi, Rustico: habent intellectum tam infimi, quàm medii, & summi ordinis) tamen vix scintillulam earum, quæ ante lapsum aderant, opum possidet, cum nunc eheu! in spiritualib⁹ potissimum, nimis depravatæ; sed eas pristino,

quantum in hac licet imperfectione, restituere pedetentim vigori, homini maximoperè laborandum. Denique etiam eodem omnes homines, quotquot sunt, gaudent fine, eidemq; destinati sunt scopo. Sunt enim tantà conditi arte, ut summè tonantis Dei contemplationi, atque laudi dent operam indefessam, Ejus sacrosanctum Nomen adoratione colant, honoribus afficiant, admiratione extollant, & juxtà istus sanctissimam voluntatem, vero veræ pietatis cultu, & ipsi Creatori stupendo, & proximo, debita exhibeant officia. Licet autem ita res habeat; nihilominus tamen ipse Deus ingens inter homines fecit discrimen, dum quosdã primo, quosdã medio, quosdã imo collocavit loco. Unde diversi orti sunt statûs, quos appellat, hierarchici, hominesq; diversarum dignitatum classib<sup>9</sup> distincti, ut alii cultui divino peragendo, alii reipublicæ tractandæ, alii juventuti instituendæ, alii aliis suas locarent operas expediendis. Præprimis verò juxtà suos, majorumq; actiones, quibus incrementa, & emolumenta in Rempublicã contulerunt singularia, homines nonnunquam ponderantur, ac considerantur. Unde virtutum, earundemq; speciminum editorum notã quidam à plebe discriminantur in sublimius evecti; & hinc Nobilitas Gentis, cum paternæ, avitæque virtutis semina posteris inesse credita, absque ullâ dubitatione primordia sua traxit. De quâ ego abiturus ex hoc Gymnasio breviter nunc dicturus, undeque Nobilium sit origo, quibus studiis operam dare teneantur, quæ Reipublicæ præstent commoda, & quo splendore insignium, ac privilegiorum fulgeant, pro ingenii modulo sum explicaturus. Sed quoniam multum positum scio investrà, Auditores, benignitate, atque favore; submissè peto, ut, si sublimia humiliter, ampla tenuiter, illustria in-

orna-

ornatè tractantem, & ex innumerabilibus, quæ ad dicendū  
suppetunt, plurima prætermittentē veriùs, quàm exponen-  
tem audietis, humanitate vestrà subleuetis, & cum animis  
vestris cogitetis, non posse quempiam in tam ubere mate-  
riâ persequi accurratè omnia. Hoc si à vobis obtinuero, sicut  
spes bona me alit, multum orationis meæ cursum adju-  
tum iri, certissimè sum persuasus.

Quamquam suprâ laudatus Boëthius, Auditores ex-  
aluminatissimi, ut fastum multorum, qui propriâ destituti  
virtute, nihil, quàm inanem majorum memoriam, ad  
sui commendationem habent, reprimeret, dicit:

*Quid genus, & proavos strepitis?*

*Si primordia vestra,*

*Autoremq; Deum spectes,*

*Nullus degener exstat.*

Tamen Nobilitatem Gentis, ubi nobilibus parenti-  
bus nobiles nascimur, dari, eo ipso inficias it neutiqvam.  
Est autem hæc Generis Nobilitas, juxta Landulphum, *quali-*  
*tas, sive dignitas, proveniens è coruscatione clari sanguinis, à*  
*parentibus originem sumens, & in liberos legitimos per car-*  
*nem continuata.* Osorius vocat splendorem, in quo fre-  
*quenter magnæ virtutes enituerunt, vitæ communi saluta-*  
*res, & commoda.* Et quidem ille quoque censendus verè  
nobilis, qui patre natus nobili, quamquam matre non item.

Quod sacratissimus Imperator expressè sanxit, in corpore  
legum suarum ajens: *Mulieres honore maritorum erigimus, &*  
*genere nobilitamus.* Cùm autem nobilitas præminentiam,  
& prerogativam notet (unde nobilis origine suâ  
idem, quasi non vilis, aut juxtâ alios, quasi noscibilis) & so-  
lius virtutis studium hominem in sublimi collocet; Ge-  
neris

In Clem. 2.

Lib. 1.

l. Ult. C. de

incol. lib. X.

Epist. 331.  
Sap. 8, 3.

In Alexan.

neris exindè nobilitatem suam soli virtuti debere origi-  
nem, dubitare non licet. Penes Indos eqvidem nobili-  
tas non ex negotio; sed ex otio dignoscitur: Qui enim  
longioribus in digitis manuum, pedumq; incedit ungui-  
bus, aliis, quòd labore defatigari necessum non habe-  
at, censetur excellentior, referente id magno Historiarum  
helluone Zeillero. Longè rectius sapientissimus Regum,  
siquidem libri vulgariter fingitur autor, dicit, *Sapientiam  
nobilitatem glorificare*. Longè etiam diversæ ab Indis, igna-  
vis fucis, cordati viri sunt mentis. Euripides enim rectissi-  
mè judicat, quando ait:

Τὸ Φρόνιμον, εὐγένεια, καὶ τὸ συνέλον. i.e.

*In prudentiâ, & sapientiâ nobilitas consistit. Nec  
possum tacitus præterire insigne illud ingeniosissimi Juve-  
nalis, ita sonans;*

Sat. 8.

*Tota licet Veteres exornent undiq; cere  
Atria; nobilitas sola est, atq; unica virtus.*

de 4. Hon.  
Consul.

Huic calculum suum adjicit Claudianus album,  
dicens:

- - *Virtute decet, non sanguine niti.*

L. 3. Ann.  
c. 40.  
in Cod. de  
Commerc.  
& merc.  
C. 85. B. J.  
Ad Rai-  
mundum  
Fugerum.  
Lib. 3. polit.  
cap. 8.

Et Politicorum Princeps Tacitus *nobilitatem rarum,  
nec nisi virtuti pretium* apud Romanos vetustiores fuisse,  
testatur. Baldus, præclarissimus jure peritorum antistes,  
quicumq; est virtute præditus, inquit, *nobilis est*. Et Marius  
apud Salustium non sine laude gloriatur: *Mibi, dicens, ex  
virtute nobilitas cæpit*. Hinc etiam Amantius:

*Nobilis est solus, virtute insignis, & arte,  
Virtus nobilibus clarior una viris.*

Imò magnum illud Philosophorum lumen, & colu-  
men Aristoteles, præclare de hoc disserit: *Nobilitatem, in-  
quit,*



quæ, nullam ob causam aliam veneramus magis, quàm quòd  
meliores ex melioribus oriri existimamus, dum nobilitas ve-  
ra, non in generis splendore, non fumosis majorum ima-  
ginibus, non parentum præclarè, laudabiliterqve actis;  
verùm suâ cujusq, virtute consistat. Stat itaqve firmo ta-  
lo pervulgatum illud Poëtæ:

*Nobilis est verè, quem nobilitat sua virtus.*

Quòd verò nobilitas non in cerebello quorundam,  
magnificè de se sentientium, ortum traxerit; sed funda-  
mentum etiam in naturâ habeat, ne utiqvam venit negan-  
dum. Scitè hanc in rem Lyricus ille decantatissimus:

*Fortes creantur fortibus, & bonis:  
Est in juvencis, est in equis patrum  
Virtus: nec imbellem feroces  
Progenerant aquila columbana.*

L. 4. Carin.  
Od. 4.

Et si ad fructûs plures, majores, meliores edendos,  
multum, ex quali arbore sit surculus traductus, interest:  
quantò plus, quibus quis sit ortus parentibus, iisne, quos ar-  
dens provexit ad æthera virtus; an iis, quorum animos aut  
vitia, aut sordes generis, ad terram depresserunt, intererit?  
Et si temperamenta, si morbi, si alia corporis accidentia, à  
parentibus in liberos derivantur, ac propagantur; quis ani-  
morum quoque propensiones, ut quæ magnâ ex parte cor-  
poris temperamentum sequi videmus, in posteritatem  
transfundi, experientiâ reclamante, inficiabitur? Unde  
magnificendos nobiles spontè consequitur, juxtâ illud  
nervosissimi Poëtæ Euripidis:

*Ὀὐκ ἔστι τοῖς θεοῖς πατρὶς κάλλιον γένος,  
ἢ πατρὸς ἐοδλῆ, καὶ γὰρ θεὸς πεφυκέναι.*

In Heracle.

Quod, si latinè reddas, est; nihil tanto liberis ducitur  
honori, quàm si honesto, probòq, patre sint sati, & nati. Hoc

B

quar-

L. 7. c. 1. quantum dignitatis adjecerit Q. Metello, testis adest Valerius Maximus, ad summum hunc Virum beatæ vitæ culmen perductum asserens, cujus fundamentum in sanguinis, ac familiæ excellentioris, per antiquam seriem continuatæ decore ponit, dum ait, *laudatum Metellum fortuna nasci in urbe terrarum principe voluit, Parentes nobilif-*

*In laude Seneca dedit.* Hoc sapientissimus Claudianus comprobans:

*rena v. 35.*

- - *Nobilitas, inquit, cunctis exordia pandit*

*Laudibus, atq; omnes redeunt in semina vires.*

*1. 85. B. J.*

Et Salustius. *Majorum gloria posteris quasi lumen est.* Hinc etiam Philosophus, & Orator nulli secundus

*1. 4. de Ben.*

Seneca, graphicè ait: *Ciceronem filium quæ res consulem fecit, nisi Pater?*

*1. 30.*

*Cinnam nuper, pergit, quæ res ad Consulatum recepit ex hostium castris? Quæ Sextum Pompejum, aliosq;*

*Pompejos, nisi unius viri magnitudo? Si excutimus Historiarum monumenta; multa sanè, imò innummera talia,*

*invenimus exempla, ubi liberi propter præclaros, & politico insigni honestatos parentes aliis longè fuerint antepositi, amplissimis honoribus adaucti, splendidissimis laudibus affecti, & celsis muniis decorati.*

*Quod verò concernit Nobilitatem nostram Germanicam inspecie, quis est, qui illam originem suam à virtute, & quidem bellicâ petiisse, neget?*

*Spangenberg's Adel Spiegel.*

*lib. 6. c. 6.*

*De Mor.*

*Germ. 6. 7.*

*ut vocari consueverunt, fortitudine militari nulli genti posteriores, autore Tacito, Reges ex nobilitate, Duces ex virtute sumserunt.*

*Præfectos quippe bellicos ipsimet pro arbitrio selegerunt; sed nullum, nisi qui præclararum virtutum, generosi animi, & fortiter rerum gestarum famâ inviolatâ florisset, in expeditionibus imperterritum, gnarum, atqve alacrem se exhibuisset, & palmam cæteris omnibus præripuisset, huic præficiebant officio. Hic exindè*

*post-*

postmodum vulgari fama, & electione nobilis habitus, nec minus ipsius posteris, (licet non munus hereditario acceperint patris) tanquam ex nobilissima stirpe orti, honorati sunt, praesertim si parentum vestigia in praecclaris actionibus suscipiendis premere laborarunt. Sed cum tantum a majoribus suis, & parentibus summo loco nati accipiant splendoris; ut & se & non indignos suis avibus, proavis, gerant, maxima postula necessitas. *Nobilitas enim cognatorum non valet, nisi fuerimus nos ipsi boni*, inquit lucidissimum Ecclesiae lumen Chrysostomus. Et vere Poeta Sulmonensis celeberrimus sub personam Ulyssis, Ajacis, nimis majoribus suis se efferentis, impetum retundentis:

*Nam genus, & proavos, & quae non fecimus ipsi,  
Vix ea nostra voco.*

Hom. 5. in  
Matth.

L. 13. Met.  
fab. 1.

Nobilitas enim vera metienda, non majorum virtutibus, quas nemo moriens dare potest; verum propriis. Ideoque quilibet, cui ad sublimia tendere pectori haeret, suam virtute, suis factis egregiis nitatur strenue, atque assidue; ne mollis, petens ad honores promoveri, audire cogatur illud, ab Antigono adolescenti cuiusdam delicatulo, ex celebri belli duce oriundo, repositum: *ταῦτά ἐμοί, ὡς μετ' ἄξιον, ἀνδραγαθίας εἰσὶν, ἢ πατρὸς ἀγαθίας τιμῆς*. Quod hunc parit latinum sensum: *adolescens, apud me virtuti viri, non patris premia sunt proposita*. Huc bene quadrare videtur mihi illud Ovidii:

Plutarch.  
in lib. de virtuosâ verec.

1. De ponto  
El. 10.

*Non census, nec clarum nomen avorum;  
Sed probitas magnos, ingeniumque facit.*

Silentii conopaeo involvere ne utique quoque possum, quod Orator quidam praecclarus generoso stemmate ortis suppeditat monitum, adde, ajens, *parentum nobilitati*

Scrib.

*nobilitatem novam, majorum nimirum virtutibus virtutes  
 novas; ut non tam te ab illis lumen accepisse, quam illos à te  
 lucem mutuatos, videamus.* Ut verò fama patrum nobiles  
 consequatur, ad quam animus impellendus, quibusque  
 opera navanda, meritò dispiciendum. Sed quæris?  
 responsio in promptu. Sunt literæ, literæ, inquam,  
 sunt, & artes liberales: hæ præclarum, hæ nobilem effici-  
 unt hominem. Hæ, juxta sententiam Oratoris principum,  
**De Archia.** (qui homo novus Romæ eruditione se, suamque familiam  
 nobilissimis adscripsit:) *Adolescentiam alunt, senectutem  
 oblectant, secundas res ornant, adversis per fugium, & solati-  
 um præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant  
 nobiscum, peregrinantur, rusticantur.* Hæ sunt, quas no-  
 biles diligenter subactò, ac præparato animo colere ne-  
 cesse habent, nisi majorum laudes obfuscare, & nube tege-  
 re densa; sed cum suis clariores, & splendidiore reddere  
 cupiant. Quantum per Deum immortalem! affert de-  
 coris nobili familiâ ortò, doctrinâ alios præcedere? Ta-  
 lis certè nobilis rerum scientiâ apprimè imbutus ab igno-  
 bili ita differt, ut tanquam Deus in terris præ aliis longè  
 eminere videatur. Et ut inter metalla nobilissimum au-  
 rum, inter animalia homo, inter feras leo, inter aves a-  
 quila, inter partes humani corporis caput, inter animæ fa-  
 cultates ratio: ita inter homines nobilis doctus, literatus,  
 & virtute præditus à Principe ex multis, præ rudibus &  
 ignavis, seligitur, & ad summos honorum apices tam sagi,  
 quam togæ tempore evehitur. Id quod nunquam satis  
**Vern. Orat.** laudandus Imperator Sigismundus diligentissimè obser-  
**g. de Nob.** vavit, quandoquidem semper nobilitatem cum eruditione  
 conjunctam, nobilitati nullis literis tinctæ longè antepo-  
 nens, magnis honoribus admovit. Et aliquando inter-  
 roga-

rogatus, cur id faceret? sapientissimè respondit: *ego, in-*  
*quiens, illos observo, quos aliis excellere voluit natura.* Satis  
paucis his indicans, quantum decus, quantum gloriam,  
quanta commoda homini nobili admetiantur literæ. Pro-  
pterea à teneris statim, & ubi primùm sese erigit ad lucem  
ætas, gressumq; molitur, nobili sanguine sati literis se ab-  
dere, & ad scientiam conformare debent, tantumq; mer-  
cari eruditionis, quantum ipsis satis ducitur. Ut omnibus  
spinositatibus Scholasticis, captiosisq; subtilitatibus se in-  
volvunt, neq; affirmandum, neque ulli svadendum; sed il-  
lis studiis, quæ Rempublicam administraturo vel utilia,  
vel necessaria, diligentiam adhibeant peculiarem, opus  
est. Quemadmodum enim qui, ut multos hominum,  
mores, leges, & instituta cognoscant, peregrè proficiscun-  
tur, tantum in quâlibet urbe morantur, quantum ad pru-  
dentiam, ex multarum rerum usu, & cognitione colligen-  
dam, satis: Non secus illustribus hominibus non immori-  
endum artibus, aut omnes earum persequendæ minutia,  
subtilitatesqve; sed ex unâquâque, quantum ad virtutis  
usum, & gubernatricis sapientiæ disciplinam conferre po-  
terit, sumendum est, & cum Enniano Neoptolemo *philo-*  
*sophandum paucis.* Porro, cum ad civitatem, ubi Princi-  
pis sedes, atque domicilium, ad rempublicam, ad aulam,  
benè, feliciterq; administrandam, non religio modò re-  
quiratur, atque pietas, (utpote quam maximè etiam, & an-  
te omnia in nobili desideramus, imò fundamentum sub-  
sternimus, dum à sancto Augustino summa apud De-  
um nobilitas dicitur) sed prudentia quoque, quam Aristot-<sup>3. Polit. 6. 5.</sup>  
teles propriam imperantis virtutem appellat, exigatur;  
hæc autem absque literarum notitiâ comparari minimè  
possit: Idcirco etiam humaniorum artium studiis nobili

Tac. Vit.  
Agr. 6.4.

juveni incumbendum erit. Verùm ita incumbendum,  
ut teneat exemplo Agricolaë Romani, *quod est difficillimum,*  
*ex sapientiâ modum.* Nam qui fructuosa, non qui multa  
scit, sapit. Instillatis ergò ab ipsâ infantiâ pietatis, & ve-  
ræ Religionis præceptis, jactis etiam Grammaticæ, Diale-  
cticæqve fundamentis, in specie tempus tribuat cognitio-  
ni lingvarum sibi comparandæ, quâ se multùm imposte-  
rùm possit commendare, quæq; ipsa homini Politico cum  
honorifica, tum perutilis, ac necessaria. Et quidem præ-  
cipuè excolenda Nobilibus lingua latina, quæ totius pro-  
pemodùm Orbis terrarum commune nunc quasi vincu-  
lum, cujus auxilio per multas Nationes penetrare datur,  
quòd ex illâ, ceu matre, aliæ nascuntur. quæ tunc omnes  
longè leviori addiscuntur industriâ, Cœteras omnes di-  
stinctim nominare omitto, quilibet ipsemet, ut illarum  
gentium, cum quibus aliquam communionem sibi futu-  
ram esse putat, quarumq; idiomata nunc temporis in mul-  
torum Principum aulis vigent, lingvas sibi reddat familia-  
res, attendendum putabit: Utpote quod ipsi non  
solum splendorem peculiarem; verùm etiam commo-  
dum præstare potest insigne. Nullus enim legati mune-  
re functurus mittitur in exterarum regiones, nisi lingvis illa-  
rum gentium, ad quas destinatur, habeat cognitissimas.  
Non autem me possum continere, quin de Græcâ, quæ,  
propter insaniam hujus corrupti seculi, homini nobili, &  
Politico non tantùm nulli usui, sed detrimento fermè ha-  
betur; cum tamen ab illâ Latia lucem mutuatur, dicam?  
Nam an verum putas, quod cœci homines judicant, eam  
esse inutilem? minimè gentium; sed benè rebus suis con-  
sultat Nobilis, qui aliquantum illi imbibendæ incumbit. Si-  
quidem non minùs cultorem suum clarum reddit aliis, &  
maxi-

maximæ necessitatis ad omnes disciplinas semper est habita; cum plurima de naturâ rerum, de moribus, de Philosophiâ, de jure, de legibus, græcis literis consignata. Et licet pleraque hoc tempore Latino, imò plurima Germanico reddita extare idioma, hujus lingvæ osores, & rofores clamitent; tamen præstat ex ipso fonte, quàm rivulis potum haurire. Uno verbo, omnis solidioris literaturæ adeps, ac melior succus à Græcæ lingvæ studio, tanquam à nativo rore, & imbre defluit uberrimè. Post hæc nobiles diligenter in arte oratoriâ sunt informandi, quò sibi pretiosissimum illum thesaurum, præclaram illam vim mentis, & oris, quàm Eloquentiam appellant, cujus cum decore, nullus purpuræ nitor, nullus gemmarum, & auri splendor, nihil in totâ terrâ, quod mortales possident, conferendum, comparent. Non iniquè dixit inde M. Tullius, quem *De Clar. Orat.* non minùs sapientiæ; quàm Eloquentiæ parentem omnis *Orat.* *tas* semper venerata est: *Ut hominis decus est ingenium; sic ingenii decus, lumenq; Eloquentia.* Illa enim verè distingvit nobilem ab ignobili; imò hominem ab homine. Hæc illa est, quæ concitata pectora mulcet, ferocia domat, ferrea oppugnat: Hæc illa est, quæ hostilem impetum frangit: Hæc illa est, quæ, ut iterum illud Eloquentiæ loquitur miraculum, quæ, inquam, *multæ urbes constitutæ, plurima bella restincta, fortissimæ societates, sanctissimæ amicitia comparatæ:* Hæc illa est rerum Domina, ut veteres laudatissimi ipsam vocârunt, quàm tot clari, fortissimiq; Principes in votis continuis habuerunt, Tuos appello manes, *Magne Alexander, tuosq; testor consopitos cineres, revivifcas velim, ut oratiunculæ meæ fidem concilies!* Nonne tu cum cæteris omnibus longè major existeres, Hercule te tamen inferiorem judicâsti? Cur? nullam aliam ob causam,

fam, quàm quòd te ille Eloquentiã, gemmã inæstimabili,  
superaret. Hæc ipsa est flexanima vis, quæ ardores sæpè  
inspirat militibus, quæ metus pectoribus eximit, ut gene-  
roso, ac forti animo, ceu leones, hostiles copias hæc exci-  
tati nobilissimã artium invadant, fugent, fundant; non ra-  
rò etiam sine notabili sui clade pariant victoriam lætissi-  
mam. Notum illud Pyrrhi Neoptolemi, ducis bellicis  
virtutibus præstantissimi, exemplum, qui *plures à Legato*  
*suo, Cyneã, Oratione subactas, quàm à se armis captas urbes*  
*esse, ingenuè fetebatur.* Notum est Philippi Macedonis,  
qui *magis Atheniensium se Oratorem Demosthenem, quem*  
*tonantem potiùs, atque loquentem, totamq; Græciam mi-*  
*scientem dicebant; quàm triremes, omnemq; apparatus belli-*  
*cum metuere, affirmavit.* Quis itaq; est tam malè sanæ  
mentis, qui non in meam, plenè planèq; persuasus, ambo-  
bus descenderet sententiam, mecū asserens, quòd Eloquen-  
tia ex omnium confesso, ac concesso hominem nobile ma-  
ximè deceat: quàm si amplectantur generosæ animæ for-  
mosissimam scientiarũ Reginam, ipsis ubiq;, sive in castris,  
sive in aulis, sive in republicã, sive intrã privatos parietes  
versentur, non parva; sed excellentia certè commoda pari-  
et. Ab hæc gradus porrigendus ad Ethica præcepta, quæ  
nobilem probum moribus, sensu, cultuq; modestum, a-  
nimo magnum, firmumq; faciunt, aliisq; eximiis in-  
struunt virtutibus. Et sicut nihil adeò, atq; mores diffici-  
ciles, expositum odio: ita nihil adeò dignum amore, atque  
mores pulchri, ac faciles, quos ritè fingere, sola *illa animi*  
*morborem, & affectionum medicina,* ut celeberrimus Ora-  
tor Græcus illam appellat, Ethica perfectè docet. Hæc enim  
verè medetur animis, dum quanta sit in vitiis deformitas,  
quanta in virtute dignitas, docet, & ab illis avertit, ad hanc  
inci-

Jun. Or. 5.  
de vit. à hom  
Nob.

Plut. de Pu-  
er. Instit.  
part. 2, c. 8.



incitat. Nonne illa auro purissimo charior habenda, quæ  
ad summum bonum verum, atq; incorruptum ducit, pro-  
pter quam, & per quam, cum Plutarcho loquor, scire da-  
tur, quid pulchrum, quid turpe, quid justum, quid injustum,  
breuiter quid sequendum, quid fugiendum? Quomodo Deo,  
quomodo Principe, quomodo parentibus, quomodo senioribus,  
quomodo legibus, quomodo alienis, quomodo Magistratibus,  
quomodo amicis, quomodo uxoribus, quomodo liberis, quomo-  
do servis utendum? Quod oporteat Deum colere, Principem  
venerari, parentes honorare, seniores reuereri, legibus obtem-  
perare, magistratibus parere, amicos diligere, erga uxores mo-  
destos, liberorum intimè amantes esse, servos contumeliâ non  
afficere, & quod maximum, neq; in rebus secundis exultantes,  
neq; in aduersis tristes nimis, neq; in voluptatibus dissolutos,  
nec in iracundiâ plus satis commotos, & belluinos esse: hæc nul-  
lo cum thesauro permutanda morum instillat magistra.  
O pulcherrimum itaq; & singulare nobilitatis decus, at-  
que ornamentum Ethicam! Huic Nobiles addant Politi-  
cam scientiam, quæ ipsos, quomodo rectè in Republicâ ob-  
temperare, atque imperare debeant; quomodo sapienter,  
quibusque legibus, & institutis temperandæ civitates; qui-  
bus modis fundari, atque institui, quibus augeri, atque am-  
plificari, quibus deniq; copiosissimæ, locupletissimæ, uno  
verbo beatissimæ effici possint, informat. Monstrat re-  
gia hæc scientia, quomodo homini nobili prudenter in au-  
lis versandum, qualem erga Principem, qualem erga mi-  
nistros superiores, qualem erga coæquales, qualem erga  
inferiores se præstare debeat. Ast quid in hisce prolixè  
suo evolvendis, cum Politicam nobilium studium esse de-  
bere primarium, nemo facilè, veritati manifestam illatu-  
rus vim, sit in dubium rapturus? Huic proximè succedat

C

Histo-

Historia, palæstra, ubi se generosi animi exerceant, propria: Quandoquidem nemo facile, nisi omnis humanioris literaturæ expertus, historiam esse Politicæ officinam, improbaverit. Quid enim nobilius historiâ, in quâ pulcherrima virtutis imago orbi spectanda proponitur? in quâ tot, tamquæ perspicua exempla, tum ad virtutes inflammantia, tum à vitiis avocantia, exhibentur? Ex illâ videbis, quinam optimi sint Consilarii, qui ministri probi, qui non? Ex illâ callidam, & tempestivam simulandi, dissimulandiq; artem petes. Ex illâ pallidam *semper fortuna comitem*, loquente Nepote, *invidiam* removere, atque suppressere disces. Unde sapiens pugnandi modus, & subtilissima stratagemata addiscuntur? ex historiâ. Unde victoriæ fortiter, & ingeniosè parandæ ratio patefcit? ex historiâ. Unde totus apparatus pernoscutur bellicus? ex historiâ. Hæc profectò in omnibus, in omnibus, dico, rebus, maturus nobis adest, atque prudentissimus Consiliarius. Ad-  
*in Apophth.* dere cogor, quod Plutarchus refert: Nempe *Ptolomæum* Regem à Demetrio Phalereo subindè, ut conscriptos de regno, imperioq; libros sibi compararet, & legeret, fuisse admonitum: *Quoniam, quæ amici non audeant Principibus demonstrare, ea omnia in libris scripta reperiantur.* Et, ut uno verbo dicam multa, omnia historiarum cognitione comparantur, quibus sive in bello, sive in pace est opus. Quapropter cuilibet nobili loco nato summâ ope nitendum, quò utilissimum hoc studium non primis, quod ajunt, labris attingat; sed totum se eidem immergat. Nec mediocriter adjuverit, si aliquid operæ in Phycis, & Mathematicis adhibeant generosis prognati parentibus, dum præter delinimenta etiam emolumenta id tribuat nobili. Ex illâ enim, *Phycam* puto, primum rerum ortum, ac principia co-  
 gno-

*in Chabr.*  
*cap. 3.*

*in Apophth.*

gnoscet: omnium à summo Creatore rationalium, & irrationalium creaturarum naturas exploratas, perspectasq; habebit: omnium naturalium rerum causas, atque rationes tenebit. In summâ, ipsius admirandæ matris naturæ, arcanorum fiet particeps. Hanc verò Mathematicam non minùs nobili colendam, nemo negaverit, nisi qui in meridie solem lucere negaverit, non tantùm obscurissimam jucunditatem, ac ornamentum, quod præbet; verùm ob magnam utilitatem omni tempore inde desumendam. Quid credimus nobilius in re bellicâ esse, quàm scientiam instruendæ aciei, castrorum metendorum, vallorum effodiendorum, aggerum suscitandorum, propugnaculorum faciendorum, machinarum tot, tantarumq; quæ usus exigit, erigendarum? Hæc verò omnia ex Mathematica, celeberrimâ illâ politioris doctrinæ parte, hauriuntur. Si inter varias has disciplinas nobili etiam Poësin, quæ, ut cum Erasmo loquar, *quasi placenta ex omnibus disciplinarum deliciis condita*, commendem, haud perperam nos acturos, confidimus. Quippe cum ab omnibus omni tempore gravissimis viris magni illa fuerit æstimata; hæc certè nobilis se minimè obscuriorem, sed cuilibet acceptiorem, imò sibi ipsi faciliorem reddet. Siquidem illa reficit animum, defecat, exhilarat, & curis defessum recreat validissimè, juxta illud Poëtæ:

- - - *Levant & carmina curas.*

*Olymp. Nemes. Ecl. 4o*

Quanta sit hæc, ex eo elucet, quòd illam ipsam magni Imperatores, è quibus augustissimum sufficiat nominasse Augustum, singulari honore, atque amore sint prosecuti. Nunc ponderatis Nobilium studiis liberalibus, etiam exercitia, quibus assuefaciendi, inspiciamus paululum. Et quidem illa non solùm corporum concinnitatis,

nitatis, agilitatis, atque sanitatis comparandæ, conservan-  
dæ, membrorumq; corroborandorū causâ; sed & propter  
fortitudinem, quò à primis statim annis ad negotia præpa-  
rentur bellica, instituenda. Cum autem inter illa primum  
statuimus studium equitandi, non absque ratione id fieri  
quis putet. Hoc enim quàm utile, ac necessarium futu-  
ro militi, testes mihi sunt Romani, rei bellicæ studiosissi-  
mi, qui maximam huic arti præ cæteris operam tribue-  
runt. Quâ de causâ apud Romanæ Historiæ parentem,

L. 41. c. 61. Livium, *Perseus Romanos equites titulo principum juventu-  
tis, & seminarii Senatûs dignatur, unde lecti in primum nu-  
merum Consules, & Imperatores creari soliti.* Quàm pulchrâ  
modò huc, modò illuc per cohortes cursitatem, exercitum  
in ordinem sistentem, ad aciem inflammantem, fugatos  
accersentem, & quæ alia innumera, videre Imperatorem?  
Quàm pulchrum generosum equum scitè instigando, co-  
hibendoq; gubernare, ad cursûs, saltûsque immotè conci-  
tare, in orbem exiguum circumflectere, à præcipiti cursu  
retinere, calcar aptè subdere, calcar retorquere nôsse? Ma-  
gnam Persarum Regem Cyrum hoc ipsam equitandi stu-  
dium non minimi sanè fecisse, vel exindè liquet, quòd à  
matre interrogatus, quare apud avum tantâ morari vellet  
lubentiâ? respondit: *Domi coætaneis meis jaculando superi-  
orem, hic autem, quia me video inferiorem, molestum mihi est.*  
*Quare si hic me reliqueris, & equitandi artem didicero, cum  
ad Persas rediero, facile me arbitror fore superiorem.* Equi-  
dem, nemine contradicente, valdè jucundum est, generosi  
spiritûs equum, qui frena ferox spumantia mordet, qui  
arduâ cervicæ, capite arguto, altius ingreditur, & mollia  
crura reponit, qui, si quem sonum procul arma dedere, sta-  
re loco nescit, micat aurib; & tremat artub; videre. Videte  
tale

Xenoph.

tale instruere potest animal pulchra illa ars equestris; quæ tamen penes nobiles omnia simul equestria includit exercitia, ut sunt hastiludia, cataphractorum dimicationes, decursiones in stadio ad annulum, & si quæ sunt alia. Quibus addit Plutarchus jaculandi machinarumq; bellicarum, *part. 2. de Educ. c. 10.* utpote sunt bombardarum genera varia, tractandarum, exercitationem cujus non solum pacis tempore est ingens oblectatio; verum etiam in bello, ad appropinquantes hostes avertendos, & præsentis depellendos, summa necessitas. Expressis enim jam dictus Plutarchus, *Bellum in umbrâ nutritam corporum habitudinem non recipere: At gracilem militem, & certaminibus bellicis assuetum, pugilum, & hostium catervas facilius propulsare, asserit.* Ulterius si progredimur, offerunt se exercitia saltandi, non decora modo; sed utilia quoque nobili, atque ad corporis agilitatem multum facientia: præsertim autem, si ad usum bellicum maxime respicimus, vix hisce reperiri posse conducibilius aliquid, certissime sum persuasus. Quæ de causâ etiam apud Græcos exquisitè fuisse cultum saltandi studium, Homeri probatur validè testimonio. Romanis quoque hoc exercitii nobilioris genus maximi habitum, & usitatum, apud Senecam reperimus. Sæpè enim accidit, ut *de Tranq. an. c. 16.* in bello necesse habeamus fossas transilire, altitudinem vallorum subito superare, hostis manibus nos extricare: quæ facile sanè ab iis, qui huic arti dediti fuerunt in ætatis flore, expedientur. Luctandi studium non minus & ad robur, atque sanitatem membrorum, & ad res, præprimis bellicas, maximo perè conducit, ideoque nobilem hominem apprimè decet. Nam quoties contingit, ut certamen ineundum, ad terram prosternendus adversarius, aut abigendus; quæ luctæ exercitatio convenienter, feliciterq;



terq̄ve perficere omnia docet. Succedunt arma tractandi exercitia, quæ partim gladiis, partim hastis, partim missilibus, partim lanceis, & quæ huc referuntur, peraguntur; generosi animi fermè propria. Horum rectus usus quàm necessarius sit militi futuro, facilè exindè colligitur, quòd nullum certamen, nulla pugna, velitatio nulla, in quâ per arma ista non mille tententur nocendi modi. Quantò diligentius itaq; nobilis à florenti juventute talib9 se tradiderit; tantò melius, tantò præstantius (usus enim magister artium) post occasione ferente, incolumitateq; patriæ svadente, illa adhibere noverit. Et quia non semper, aut ubiq; militiam ipsis in castris apprehendendi suppetit occasio; laudandi illi, & maximè laudandi, qui juxtà studia, tempus etiam, quantum potest fieri, talibus impendunt exercitiis, quæ ad castra ducunt, quibusq; fortis, atq; expeditus miles debet esse exornatus. In quorum numero venationes quoq; non incommodè ponuntur. Has Plato doctrinà gravissimus, in bonâ, honestaq; educatione non omitti posse censet, absq; dubio ob eximiam, quæ ex illis manat, utilitatem, quòd nimirum præter delectationem, honestam, etiam sanitati conducât, & usum adferant eum, qui gravioribus aliis negotiis inservire possit. Unde Romani etiam magni fecerunt istas, quod insimul delictum illud Mecænatiss graphicè exponit. Sed juvat ipsa ipsius audire verba:

de leg. Di.  
al. 7.

vid. Xen. l. 1.  
de paed. à  
Cyri.

L. 1. Ep. 18.

*Romanis (venari) solenne viris opus, utile fama,  
Vitaq; & membris.*

L. 1. de rem.  
Amor.

Et Ovidius aliud adhuc monstrat commodum, quando ait:

*Vel tu venandi studium cole, sæpè recessit  
Turpiter à Phœbi victa sorore Venus.*

Sed

Sed quid opus est multis? sufficiat nobis, quod sciamus, viros fortissimos huic studio multum incubuisse. Constat enim, ut sexcenta taceam exempla alia, Alexandro illi re, & nomine verè magno, cum primis venationem cordi fuisse, ut quoties à gravioribus negotiis otii esset quippiam nactus, id huic studio tribuerit. Cui, nisi brevitas essem amator, Imperatores celebratissimos, Trajanum, Antoninum Pium, Adrianum, Heinricum Aucupem, Maximilianum I. nec non plures Saxoniae Electores, præcipuè Johannem Georgium I. gloriosissimæ memoriæ, nec non modernum Patriæ Patrem serenissimum Johannem Georgium II. & hujus filium, Principem omni laude longè superiorem, Johannem Georgium III. Dominos meos clementissimos, addere possem. Imò nostrorum majorum, priscorum *Germanorum*, ut Cæsar ait, *vitæ omnis in venationibus consumpta, atq; in studiis rei militaris.* Et verè omninò asseritur, venationem maximam militiæ partem esse, sive fortitudinem spectes, sive patientiam, sive aliud quiddam in bello, aut tolerandum, aut excolendum. Sed quid ferè omississem? peregrinationes; peregrinationes? nobili loco natis multum necessarias, & minimè omittendas. Turpe namq; mercatores tanta maria navigando experiri, & per saxa, per ignes, secundum tritum illud veriverbium, currere, ut augmenta rei concilient familiari; juvenes verò nobiles itinera suscipere nolle, ad magis excolendos mores, mores? quid dico mores? ad meliorem suam constituendam mentem. Quid pulchrius, quæso, & præclarius, quid magis decorum nobili stemmate orto; quàm varias regiones perlustrasse, varios terrarum sitûs, atqve ritûs observasse, varias urbes, munitionesq; vidisse, varios variorum populorum mores, leges, institu-

Lib. 6. de  
Bell. Gall.  
Et 6. 21.

In Olyss.  
princip.

stituta cognovisse. Non exiguâ laude hâc de re Ulysses apud Homerum evehitur, quod

*πολλῶν αὐθροῶπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.*

Id est, *mores hominum multorum viderit, & urbes.* Hinc alii alios ob peregrinationes susceptas extollunt, & magnificiunt. Quanti enim apud veteres aestimati fuerint, qui longinquas peregrinationes cum fructu instituisent, ex historiarum monumentis passim apparet ad oculum. Licet autem res magni, multiqve periculi sit peregrinatio, & leviori labore nobilem illam scientiam è libris accersere posse, non paucis videatur, nec ego penitus negem; attamen longè, longè præstantiù, & gloriosius propriis oculis, pedibusq; ea usurpasse, de quibus non eadem mens, atqve opinio Autorum, quæqve temporis vicissitudine possunt permutari. Quàm utilis igitur, ac penè necessaria sit peregrinatio nobili sanguine orto, effari vix possum. Nec abs re esset, si illam omnis melioris cultûs magistram, civilium morum formatricem, veræ prudentiæ procreatricem, & ab iis, qui in Reipublicæ gubernaculis aliquando versari desiderant, præprimis suscipiendam, diceremus. Unde etiam moralis, ac verè divinus Philosophus Ecclesiasticus, dum ea, quæ ad sapientiam perducant, exponit, peregrinationes silentio neutiquam sepelit, *in terram*, dicens, *alienigenarum gentium vir patriæ commodis se mancipans pertransit, bona enim, & mala in hominibus tentavit.* Ut verò cum fructu egregio tales perficiantur peregrinationes, multum interest. Propterea sollicitè vigilandum curatoribus nobilium, ne nimis tenerâ aetate exteris illos committant populis, & moribus: potius, ut maturo peregrinentur judicio, nitantur. Nam quid prodesset multos per annos in aliis regionibus vitam consumsiffe



sisse, & multa oculis usurpasse corporis; si eadem mente revertantur, quâ abierant, nesciantq; , quid vidissent, aut, cui bono vidissent? Sic *Cælum*, loquente Horatio, *non animum* L. I. Ep. II. *mutassent*, & optimè locum in illis reperiret, quod lux, & dux Poëtarum Homerus ait:

*Αἰχρῶν τοι δηρῶν τε μένειν, κενεὸν τε νέεσθαι.* i. e. *Illiad. β.*  
*Turpe est emansisse diu, vacuumq; redire.*

Hoc modo, fateor, præstat multum, patriæ oris non exisse: Verùm accuratè visa observasse, iudicio penitus omnia, admiranda etiam, variarum nationum perscrutum esse; incredibile est, quantum utilitatis publicè, privatimq; , cum maximo sæpè gloriæ, & existimationis fœnore secum trahat, dicente Tubingæ, propediem nutricis meorum studiorum almæ, Collegiiq; , quod ibi floret, illustris Professore post fata immortalis laude dignissimo, Lansio. Talis enim mores asperiusculos limâ peregrinationis emollit, domesticam rusticitatem extero civilitatis, cultusq; ve sale macerat; enititur deniq; , ut quæ alibi audiverit, viderit, animadvertet it laudabilia, in succum & sanguinem convertere, datâq; ve occasione Reipublicæ, aulæ negotiis cum fructu, & gratiâ attemperare queat. Inde non frustrâ prælustre Græciæ lumen, Aristoteles, *terra peregrinationes ad legum lationem conducere multum*, dixit. *Ast cap. 4.* qvid opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt? teste quippe experientiâ patet, Nobili peregrinationes summam addere excellentiam, dum semper, qui loca externa, licet non sine labore, & molestiâ, sæpè etiam periculo, lustrârunt, magno in pretio, & deliciis habentur, & Principum in aulis ad illustres provehuntur honores. Hæc cum verissima, quis tam socors, tam vecors, tamq; nobilitatis suæ oblitus, imò laudis, gloriæq; contemtor esset,

D

præ-

(praesertim si nervos peregrinationum Deus ipsi concesserit) ut cochlearum more domunculis infixarum domi semper haerere cupiat; quin potius flagrantissimo proficiscendi desiderio, ad quasvis caeli injurias, viaeque labores, ac molestias invicto, accensus, statim sodalitatem instruere, adque peregrinas abire regiones anhelaret? Passerculus, abjectum animalculum, liberrime per infinitos spatiorum tractus aere fruitur; & homo, caeterorum animalium dominator, caveae unius, agelli, aut urbeculae includi se patietur, ac contineri? Qvis autem est tam impudicae frontis, qui insignem esse Nobilium, haecenus enarratis ornatorum studiis, utilitatem, tenaciter inficias iret? Cicero, praecclarissimum Eloquentiae decus, & totius Latinitatis Pater, satis in genere eam indicat, dicens: *omnes boni semper nobilitati favemus, & quia utile est Republicae, nobiles esse homines, dignos majoribus suis: Et quia valere debet apud nos clarorum hominum senex de Republica meritorum memoria, etiam mortuorum.* Quod si verò in specie horum utilitatem percensere vellemus, dicere bono possemus jure, nobiles Principi maximum addere decus, & potentiam ejus, quae in eo sita, ut multis dominetur nobilibus, ostentare. Unde & Principes genere nobiles in sinu fovere debent, solentque maxime. Quod clementissimus, prudentissimusque Imperator Augustus diligenter sibi dictum putavit: Siquidem is Oratoris Hortensii nepotem Hortalum data haud exigua argenti, decies nimirum sestertium admonuit, summam, uxorem ut duceret, ne, verba refero Taciti, *clarissima familia extingueretur.* Maximam semper laude, memoratūque dignum est factum Neronis, qui Valerio Messala, Aurelio Cottae, & Haterio Antonino nobilibus, quibus novita ampla domi res erat, pecuniam largitus est, quae

2.º P. Sest.

Annal. 2.

Tac. 13. Ann

*quæ eorum paupertatem sustentaret.* Laudat ipsum multis  
 Svetonius, quod Senatorum nobilissimo cuiq; *sed ære famili-*  
*ari destituto, annua salaria, & quibusdam quingena, consti-*  
*tuerit.* Nobilissimam vocem edidit quoque Theodori-  
 cus ille apud Cassiodorum, cum dixit: *Non relinqui inglo-*  
*rios patimur, qui generis claritate predicantur.* Et apud  
 eundem Athalaricus: *ad summorum culmina dignitatum,*  
*germinis vestri viros, quos nunquam vidimus, eligimus, non*  
*fastidio negligentia; sed honorabili presumptione natura.*  
 Hinc merito omni tempore ab omnibus, contraria ex par-  
 te nobiles minimè habentes curæ, Principes, vituperatio-  
 ne æstimati dignissimi. Maximinus Imperator ut in cœ-  
 teris, quæ ad civilem vitam spectant, turpissimè aberravit;  
 ita & hic quoque hallucinatus est graviter, utpote *qui nobi-*  
*lem circa se neminem unquam passus sit, prorsus ut Sparta-*  
*cis, aut Athenionis exemplo imperaret.* Quæ ex re in odium,  
 & contemptum non tantum civium; sed et militum Roma-  
 norum incidit, & paulò post à suis planè destitutus, ab iisdem  
 miserrimè fuit extinctus nece. Videte, hoc peperit ipsi ne-  
 fandus Nobilitatis contemptus! Neque laudandum institu-  
 tum Regis Romanorum Tarquinii, qui omnem omni-  
 um nobilium, atque illustrium familiarum obliterare  
 voluit memoriam. Sed tædet plures ejusmodi farinae me-  
 morare, qui, ut eorum mentio coram vestris, Auditores,  
 auribus eruditis fiat, mereantur ne utiqvam. Præterea  
 nobiles natu utiliter ad officia honorata belli, pacisque  
 tempore promoventur, quandoquidem majorum vesti-  
 gia illos lecturos, fiat verisimile. *Memoria enim (ut Sal-*  
*lustii sonant) nobilissimorum majorum, ingens flamma egre-*  
*giis viris in pectore crescit, neque prius sedatur, quam virtus*  
*eorum famam, atque gloriam adæquaverit.* Inde eleganter  
 pru-

*in eius vita  
cap. 19.*

*lib. 2. Ep. 2.*

*lib. 9. Ep. 23*

*Jul. Capit.  
in Max.  
Sen.*

*Val. Max.  
l. 7. c. 3.*

*c. 4. Bell.  
Jug.*

Epist. 37. prudentissimus Seneca: *Habet hoc in se generosus animus, quod concitatur ad honesta: Neminem excelsi ingenii virum, bumilia delectant, & sordida.* Propterea etiam Sophocles:

*Generosa sic sunt pectora: Turpia odio*

*Habent; honesta gloriosa existimant.*

Epist. 15.

Latere ne utiqvam etiam patiar, quod litteratorum ille doctissimus Varro, ait: *Ex parentum virtutibus prolis judicatur successus, quia bona certa sunt, quae fidem ab exordio trahunt, dum origo nescit deficere, quae consuevit radicibus pullulare.* Et hoc in plerâq, gubernatione prudens, atqve

Tac. 4. Ann  
cap. 6.

perspectus Imperator Tiberius probè cognitum habebat, dum mandabat honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiae, illustres domi artes spectando, ut satis constaret, non

Diodor. l. 3.

alios fuisse potiores. Apud Indos etiam nulli licitum erat publicum concilium subire, nisi ex admodum generosa

Plutarch.  
in Thes.

bonâ, priscâ, atqve celeberrimâ familiâ ortus esset. Penes Athenienses in Graciâ Princeps Theseus tantummodò nobilibus, hoc est Eupatridis, nobilissimis parentibus satis, hoc privilegium, atqve prærogativam indulxit, ut ex ordine suo magistratûs eligerent, sibi, & Reipublicæ præfuturos.

2. Polit.  
Act. ult. in  
Ver.

Post hoc statutum Thesei celeberrimus etiam legumlator Atheniensis Solon, ut Athenis honorata omnia munia tantum Nobilibus traderentur, edicto sanxit publico sicuti Aristoteles scriptum reliquit. Idem mos fuit Italici receptus, de quibus loquitur Cicero, *Nobili, in-*

Felix Mal-  
leol. c. 22. de  
Nobil.

*quiens, genere natis omnia populi Romani beneficia dormientibus deferuntur.* Ejusmodi laudanda consuetudo hodi-

enum durat apud Venetos, Genuenses, Senenses, & Florentinos, qui nulli ad Rempublicam, aut ullum publicum munus, sive intrâ sive extrâ, civitatem, viam sternunt, nisi sit vel genere, vel egregiâ, cognitâqve habilitate, atq; ex-

peri-

perientiã, vel Doctoratûs causã nobilis. Quòd si verò pe-  
 nuria talium ingruat, antè quendam nobilitatis splen-  
 dore ornant, quò tali officio majori honore præsit,  
 quàm ut ad alium ignobilem id deferrent. Hæc exemplis  
 illustrare longè pluribus, exigui laboris egebit. Notum  
 enim ex Historicis præclarum exemplum Mamertini, tem-  
 pore Juliani viventis, qui, ob generis sui nobilitatem, nihil  
 tale sperans, consul declaratus, quod ipsemet fatetur in Pa-  
 negyrico dicens: *Quid? Quòd nihil speranti mihi de hono-  
 ris augmento perfertur nuncius, consulem me creatum sine  
 impendio, quod jamdiu paucis: sine labore, quod nonnun-  
 quã: sine petitione, quod nemini.* Plura, ne in re notissimã tæ-  
 dio sim, & nausæ, silentii libens involvo integumento.  
 Quanto autem Principi, & Reipublicæ commodo sint No-  
 biles, ad ejusmodi officia admoti, sicco planè pede prætere-  
 undum non est. Quem fugit exemplum Dionis? ut alia si-  
 lentio premam, Ducis Syracusanorum celeberrimi, cujus  
 Cornelius Nepos inter cæteros mentionem facit non si-  
 ne maximis laudibus, cum dicit: *Erat Dion intimus Diony-  
 sio priori, neq; minùs propter mores, quàm affinitatem. Ade-  
 rat, pergit, in magnis rebus: Ejusq; consilio multùm moveba-  
 tur tyrannus, nisi quã in re major ipsius cupiditas intercesserat.*  
*Legationes verò quæ essent illustriores, per Dionem administra-  
 bantur: Quas ille diligenter obeundo, fideliter administran-  
 do, crudelissimum nomen tyranni suã humanitate tegebat.*  
*Hunc, adhuc loquitur Æmilius Probus, à Dionysio missum,  
 Carthagenenses suspexerunt, ut neminem unquam Græcã lin-  
 guã loquentem magis sint admirati.* Inde etiam, quod de  
 suã ætate Laurentius Hunfredus refert, ad singulorum  
 temporum, & præsentis quoque nostri periodum, non in-  
 scitè spectat, quòd Nobilibus hoc tempore à Principibus,

c. 1. §. 3.

L. 1. de Nob.

atq; Magnatibus præ aliis prærogativa detur, qui consiliis, aliisque officiis aulicis interesse jubeantur, & advocentur. In quorum potissimum manu regimen? Cui publica, privataque componenda, atq; dirimenda plura imponuntur, quam nobilibus? Qui potiores in Principum, Comitumque aulis, in castris, quam nobiles? Quibus major potestas jubendi, & prohibendi, faciendi, & intermittendi, quam nobilibus? Qui frequentiores tranquillis temporibus aulas; Qui frequentiores armis furentibus castra Principum, Magnatumque complent? Nonne nobiles, qui semper fortissima quæque facta pro patriæ commodo ediderunt? Unde ab antiquissimis temporibus obtinuit consuetudo neququam improbanda, quâ certis insignibus virtute refulgentes, quibus posterius etiam uterentur, decorantur. Horum enim usum vetustissimum esse, nullus, qui vel extremis attigit historias digitorum articulis, facile inficias ibit: Quippe & Sacra Scriptura hujus rei quædam exhibet indicia, non adeo obscura. Nam quid aliud Veteres Ebræi suis vexillis, singulis familiis propriis, quibus diversa diversorum colorum animalia inserta fuere, voluerunt? Vexillum Ruben rubrum figuram hominis: Judæ viride Leonis: Ephraim aureum bovis, vel vituli: Dan diversi coloris, ex albo nimirum, & rubro permixti, Aquilæ habuisse traditur; eò, quod eis imaginibus Jacobus Patriarcha liberorum suorum sortem, & fata per singulas distinxisset domos. Coævus etiam hæc in parte cum Judæis facit Ægyptios insignis antiquitatum promus-condus Kircherus *inter alias gentes* (de Judæis autem antè mentionem jamjam fecerat,) inquit, *non immerito primum locum occupant Ægyptii, à quibus tota insignium ratio ad posteros descendisse videtur. Ab Ægyptiis autem mutuatos hoc Græcos, & ab his Romanos, qui etiam*

Gen. 49.

In Oedip.

Ægypt.

Tom. 2. Cl.

l. c. 3.

*etiam alia ad disciplinam militarem pertinentia è Græciâ pe-  
 tiere, accepisse, Juris publici fidelissimus evolutor Limnæus  
 perhibet. Sed lubet de hoc Romanorum more speciatim  
 differere. Receptum nempe ipsis erat, ut iis, qui officiis non  
 sine applausu fungebantur publicis, fasciam donarent, si-  
 gnum honorarium, quo præ reliquis agnitus decenti reve-  
 rentiâ colerentur: dabantur verò hæ fasciæ in pileos, qui-  
 bus, præ cætero vulgo, eo temporis puncto nobilitabatur vir  
 Reipublicæ benè consulens. Qui autem in bellis fortiores,  
 ac præclariores aliis sese præstiterant, illis signum benevo-  
 lentia publicæ scutum dono destinabatur, & postmodum  
 scutati vocabantur. Ejusmodi prærogativa, & muneratio  
 hunc præsertim finem habebat propositum honestissimū,  
 ut aliis calcar ad simile honestatis, prudentiæ, virtutisq; stu-  
 dium, & laudabilium pro patriæ bono factorum imitatio-  
 nem, adderetur. Qui verò prætereà summū quid, atq; præ-  
 clarū in expeditionibus, præliis, oppugnationibus, aut præ-  
 fidiis, & consilio, & manu effecerant: ii galeam gratitudinis,  
 honorisq; ergò decorabantur, galeatiq; dicebantur. Et  
 hi singuli primitus diversi fuerunt ordinis, neque alter in  
 alterius matrimonio ibat consortium. Sed temporis ali-  
 quo elapso spatio, omnes tres, omniumq; signa honoraria,  
 in unum fuere conjuncta, ut cuilibet omnibus uti liceret.  
 Et quidem hoc modo: Primum statuerunt scutum, ceu  
 corpus, huic galeam superimposuerunt, tanquam caput,  
 & tunc fascias, antea in pileis gestari solitas, galeæ circum-  
 circa applicuere, quæ nunc tegumenta audiunt. Et hic  
 Romanorum mos postmodum etiam ad Germanos dela-  
 tus, quorum insignia an Carolo M. adumbrata, ab Hein-  
 rico Aucupe perpolitata fuerint; an verò Friderici I. tempo-  
 ribus communis eorum usus coeperit, meum nunc non est  
 desi-*

Tom 2. Jur  
 Publ. l. 6. c.  
 6. de insign.  
 Spangenberg. Part.  
 2. lib. 10.  
 c. 26.

VVelf. lib. I  
 rer. Aug.  
 Vind.  
 Zeill.  
 Epist. 36.

Saubert. de  
sacrif. Vet.  
cap. 23.

definire. Illam verò consuetudinem, clypeis certas imagi-  
nes inserendi, è sacrificiis Veterum, utpote, qui varia ani-  
malia immolare consueverunt, volunt ortam. Hinc Aqvi-  
lam, quia volatu suo altissima petat, Rempublicam Roma-  
nam insigne sibi attribuisse, dicunt: quæ diviso post Impe-  
rio Romano, in orientale nempe, & occidentale, biceps in  
insignibus pingebantur Imperatoriis. Talia insignia au-  
tem non tantum belli tempore palo, aut perticæ infixæ ge-  
stabantur; sed maximè etiam incidebantur clypeis, quod  
& Poëtarum indicat aquila, dicens:

*Æneid. 7.*

- - - *Clypeoq; insigne paternum*

*Centum angves, cinctamq; gerit serpentibus hydram.*

Postmodum animantes quoque aliæ, quadrupedes,  
bipedesque, ursi, leones, equi, cervi, gryphi, cygni, corvi,  
aliæ, etiam variæ res inanimatæ, appingi consuevere. Por-  
rò etiam galeis nobiliorum militum imposita cornua, vel  
alex, vel cristæ, quod inter alios Claudianus innuit,

*In sext. Ho-  
nor. Cons.*

- - *Gaudet, inqviens, metuens, & pollice monstrat,*

*Quod picturatas galeæ Junonia cristas*

*Ornet avis.*

Etiam illas imagines, quæ in clypeis expressæ, in cul-  
mine galeæ adhiberi consuevas, novimus. Cujus scopum  
Diodorus exponens, *Æneis*, ait, *galeis cum magnis ap-  
pendicibus, ad prolixam ostentationem factis, impetu muni-  
unt; nam vel cornua affixa, vel avium, quadrupedumq; faci-*

*Lib. 5.*

*Lib. 1. Ant.*

*Germ. c. 44*

*es in illis expressas habent.* Cluverius Germanos antiquiores,  
*Gallosq; docet solitos militum galeis, cristarum adjectione,*  
*terribiliorem addere speciem, eò, quòd primi in omnibus præliis*  
*oculi vincantur.* De tegumentis verò, sive, ut nos vocamus,  
*Wappendeckel*/quæ modò simplicia, modò multiplica-  
ta, insignibus adpinguntur, alii aliam fovent opinionem.

A fa-



A fasciâ Romanorum, cuius paulò antè injecta mentio, quidam ortum eorum derivant: Alii quòd scuta, clypei quæve, in quibus insignia cœlata, pellibus, & hujusmodi fuerint operati aliis, adhiberi solita, contendunt. Harum sententiarum quæ præponderet, ego Palæmon non ero; attamen nullam prorsus à re videri alienam, non incongruè asseverare me posse, confido. Quid autem in insignibus positæ imagines, earumque notent colores, quidque moneant, paucis coronidis loco, exequar. In genere omnia arma, genti cui-dam data, ad virtutum excitant exercitia, nobilibusque, ut partes suas diligenter curantes suâ potestate non ad opprimendos subditos, aut Patriæ perniciem inferendam; sed ad præsidium præstandum, communesque hostes coercendos, utantur, addunt stimulos longè acerrimos. Sed cum in specie quarundam imaginum significationes exponere allubescat; primo intuitu occurrit Aquila, qui Rex avium, celsissimus præminentiam, iram, magnanimitatem, iudiciumque acutissimum subinfert, & familias, quæ ejus in clypeis gerunt simulacrum, ad quam plurimas exhortatur virtutes, præprimis in imperio versantes. Brachia, præsertim gladio armata stricto, quòd à Deo concessum robur strenuè excolendum, & manus, sive brachia ad hostes à finibus depellendos, subditos verò regendos, extendenda sint, indigitant. Virgæ, lineæ, seu trabes, eò nitendum, quòd regiones, pagi, oppida, urbesque nitidis, & integris constant ædificiis, rura, agrique ad victum incolarum colantur, & viæ publicæ à latronibus, aliisque sceleratis nebulonibus purgentur, commonefaciunt. Ursus fidem, & affectum paternum in subditos, ut nobiles curam subjectorum suscipiant teneriorem, proque illis summâ fide, atque strenuè pugnent, indicat. Aries notat, ut sicut ille gregem; ita quoque

E

nobi-

Spangenberg. Part. 2. lib. 12. c. 45.

Jes. 1, 3.

nobili loco nati alios anteire virtutibus studeant. Crux  
continuâ meditatione, minimeq; fucatâ fide passionem,  
& mortem (vavissimi Salvatoris JESU Christi consideran-  
dam proponit. Apes curam planè singularem svadent, &  
qui eas in clypeo depictas habet, subditis, & plebi fideliter  
præesse, decentiqve ordine imperium administrare,  
monetur. Elephas, omnia quadrupedia sagacitate supe-  
rans, prudentiæ nota non obscura. Asinus, ut Deum,  
ejusqve sanctum verbum semper in ore, & mente gestare,  
demandatumqve magistratûs munus, quanto quanto labo-  
re etiam constet, patienti, constantiqve animo sufferre, &  
impigros se præstare omni debeant tempore, docet nobi-  
les. Pisces constantiam in exantlandis molestiis, perferen-  
disq; periculis imperterritam, dummodò propositus tan-  
gatur scopus, innuunt. Alas qui in clypeo, aut galeâ depi-  
ctas habent; iis, ut semper corda ad Deum à terrâ tollentes  
devotûs precibus sursum ad astra volent, etiam mandata  
magistratûs diligenti, alacriq; curâ sine morâ exseqantur,  
aptantur calcaria. Caper repræsenterat attentionem, mo-  
nens, ut superiores omnibus aures dare patulas, etiam at-  
tentè dispicere debeant, quo in loco res sub imperio suo si-  
tæ, an ubiqve in tuto, an non? Gryphus, maximè etiam ab  
argutis commendatus auribus, magnæ gloriæ nobilibus,  
si omnibus non deferentibus modò; sed defendentibus  
quoqve apertas præbeant aures, cedere, insinuat. Gallus  
invitat exemplo suo ad indefessam curam, & vigilantiam;  
sed Cervus prudentiam circumspectam subinfert. Canis  
vigilantiæ, justitiæ, fidelitatis studiosus, ut nobilis ejus ve-  
stigia legat sollicitè, ne furi, latroni, foeneratori, fraudato-  
ri, tenebrioni, locum ullibi concedat; sed etiam suo Supe-  
riori, præprimis Deo, datam fidem, constanter servet, suo  
jubet

jubet exemplo. Corona benè instituti imperii est charac-  
ter, quæ & nobilibus alto semper pertractandum pectore  
relinquit, suam excellentiam non ad se; sed ad Deum refer-  
ri autorem: cui ob tantos honores, grata mens, manusqve  
offerendæ, & ad voluntatem ejus imperium componen-  
dum. Lilia candorem, suavitatem, cum utilitate junctam,  
de se præbent, monentqve eos, in quorum insignibus ful-  
gent, esse candidos, honestos, non nigros, & proindè vi-  
tandos. Leo infracti animi contrà quemvis invadentem,  
declarationem postulat. Virum armatum calcar subdere  
heroum vestigiis insistendi, & ad Magistratùs protegen-  
dos paratum se exhibendi, facilè subolet. Luna subitò  
crescens, ac decrescens lubricam inconstantiam fortunæ,  
rerumq; humanarum indicans, ad humilitatis inflammat  
studium, ne propter nobilitatem, divitiasqve suas aliquis  
erigat cristas. Taurum roboris, & laboris, sicut Equum,  
generositatis, & celeritatis notam esse, patescit facilè. Ser-  
tùm Rutæ, quæ contra venenum pharmacum præsentissi-  
mum, Magistratum id agere, quò subditi à falsâ Religionis  
peste præstentur immunes, admonet. Annuli concordia,  
cujus inter sese, & cum aliis tenaciter servandæ studiosissi-  
mi sint nobiles, sunt idyllium; iidem fidem in verbis, & fa-  
ctis, fœderibus, pactisqve insinuant clarissimè. Rosa im-  
becillitatem humanam, vitæq; hujus temporalis volubi-  
lem incertitudinem clarè indicat, utpote, secundum  
illud Poëtæ,

*Quam modò nascentem rutilus conspexit Eous,  
Hanc rediens sero vespere vidit anum.*

*Ausonius,*

Sed Rosa tranquillæ in Republicâ, quantum potest,  
conservandæ pacis studium colendum, non minùs svadet.  
Claves sapientiam, etiam in variis ocurrentibus magni

ponderis rebus, negotiisq; probè præmeditatum adumbrat consilium. Clypeus præsidium, & defensionem; quemadmodum Serpentes prudentiam, calliditatemq; referunt. Cygnus, sive Olor fidem, candorem, eloquentiam, prudentiam, mutuam amorem, etiam conjugalem, denotat. Gladius legitimam potentiam, inculpabile imperium, iudicium, justitiam, ad bonos protectione, malosq; pœnâ afficiendos, exprimit. Sol ut Magistratûs subditis exemplis præluceant, deq; potentiâ suâ, bonis, & honoribus aliquid largiantur, & omnibus consilio, ope, solatio adsint, instigat. Stellæ, ne Nobiles quoquam tempore opem suam petentibus se inexorabiles præbeant, volunt. Columba mansuetudinem, Item Christianam simplicitatem, sine omni nefariâ calliditate, monstrat. Turres, muri, pinnae, imperia, ut regionibus pristinus remaneat, aut restauretur vigor, jubent instituere. Fluvii, & nubes, brevitatem, & fragilitatem temporalis hujus vitæ menti proponunt cogitandam. Lupus cautè, circumspectèq; svadet hostem petere. Panes, ne ii, quibus gubernanda Respublica commissa, fiant Nimrodi; sed subjectis suis ita præsent, ut de spiritali, & temporali pane ipsis prospiciatur, utq; animæ, corporisq; victus, ac cibus suppetat, commonent. Et hæc de significationibus imaginum quarundam in insignibus brevissimè indicata hîc sufficiant: Omnia enim si recensere vellemus, ne dies quidem hic, quid de præsentî dicam horulâ? spatio satis esset suo. Nunc etiam tribus, quod ajunt, colores, cujus sint indices, exponamus. Luteus nimirum, sive aureus veram fidem, & cordis fiduciam in Deum, ejusq; verbum, nec non sapientiam, devotionem, desiderium, lætitiâ, & fidelitatem denotat. Album, sive argenteum perseverantiam in fide, ejusq;

ejusque infucatam confessionem; etiam eloquentiam,  
candidam honestatem, & inculpatum vitæ studium repræ-  
sentare, scimus. Color ruber, sive purpureus flammei a-  
moris, & fidelitatis: item fortitudinis, fervidiq; Zeli pro  
verâ Religione, est imago; sed etiam laboriositatem, indu-  
striam, & curam in imposito munere, in justitiâ, in judicio  
exercendo, designat planè singularem. Saphirinus, sive  
cœruleus, pulchritudinem, puritatem, pudicitiam, humi-  
litem, obsequium, pietatem & sanctitatem: Viridis au-  
tem, sive Smaragdinus, comitatem, affabilitatem, mode-  
stiam, beneficentiam, & officiosam benevolentiam: Fu-  
scus deniq; & niger potentiam, constantiam, patientiam,  
prudentiam, & perseverantiam, nec non abnegationem  
mundi, cum omnibus suis concupiscentiis futilibus, & in-  
utilibus, expetit. Præter insignia verò talibus coloribus  
refulgentia, immunitates etiam peculiare, vel concessio-  
ne Principis, vel consuetudinis vigore, indulta nobilibus.  
Quòd nempe, si deliquerint, tam acerba ab iis non exigatur  
pœna, nisi atrocissimum fuerit crimen: Quòd non possint  
subjici carnificis torturæ: Quòd per procuratorem com-  
parere queant in criminalibus, et si condemnentur, à fur-  
cæ supplicio sint immunes: Quòd prærogativam præ aliis  
in vestitu, monilibus, gemmis, aliisq; habeant hujus gene-  
ris. Sed si omnia, horsum quæ spectant, antiquitatis re-  
cludentes scrinia, & compilantes, persequi vellemus, quæ  
attingere potius, ac delibare, quàm exponere cœpimus; in  
immensum hæc volumen excreceret oratio. Propterea,  
ne diu nimis vestrâ, Auditores, benevolentiam, atque favo-  
re abuti videar, filum orationis meæ, inornato, & quotidi-  
ano genere dicendi textæ, rescindere, & tempori cogor in-  
servire. Dixi adeoque, cui nobiles natales transcribant  
suos,

Schönb. Pol  
L. 3. c. 39.

sicos, quibus studiis eos incumbere deceat, quæ in Rempu-  
 blicam ritè, rectèq; præparati diffundant commoda, quò-  
 ve insignium, atque privilegiorum decorati sint splendo-  
 re. Dixi quidem, imò dixi, sed quæ volui? tantum quæ po-  
 tui. Dixi, veram gentis nobilitatem non aliundè, quàm  
 à virtute profectam, illamque veram, & unicam matrem,  
 esse nobilitatis, asserui. Sed proh Deum atque hominum  
 fidem! quot sunt, qui nobilitatis nomen falsò mentientes  
 neminem quidam veræ habent nobilitatis? Quot virtu-  
 tem velis, remisque fugiunt, multisque modis persequun-  
 tur, eruditionem, & scientiam alto spernunt supercilio, lu-  
 dibrioque habent, & ignominiam suæ nobilitati, literis si  
 polirentur, se aspersuros, plus quàm asininà non verentur  
 proferre voce, tantum paternis, avitisque meritis se effe-  
 rentes, & interea, qui mos corruptissimi hujus seculi, vitia  
 certatim sectantes, summisque in deliciis ducentes? Tales  
 profectò aspectum splendore movent, carent interim ce-  
 rebro. Et O perversa hominum judicia! quid generis splen-  
 dor, quid vetustas, quid amplitudo, quid divitiæ paternæ  
 in illiteratis, atque imprudentibus pariunt? fastum, inso-  
 lentiam pariunt, *animum contemptorem, & superbiam, com-  
 mune*, ut Marius appellat, *nobilitatis malum pariunt*. Effici-  
 unt, ut solos se esse homines, reliquos omnes, quasi um-  
 bras hinc inde volitare, existiment. Hinc ad colloquia si  
 ventum sit, videas homines linguâ feroces, qui mortalium  
 timent neminem; ipsi tamen vixulli mortalium formi-  
 dandi: audias verbis meros Hercules, qui oris clavâ ster-  
 nant, & humi dejectant robustissimum; ipsi tamen ad cor-  
 poris sui defensionem nihil rectè, atque ordine facturi. Et  
 licet præclarum, virtute, & gloriâ celeberrimos habu-  
 isse parentes, quod supra tetigi; tamen rectissimè Plutar-  
 chus *εὐγένεια καλὸν μὲν, ἀλλὰ ἐργάτων ἀγαθῶν, i. e. nobilitas egre-  
 gium*

Sallust.  
 c. 64. B. J.

Part. 2. c.  
 4. de Puer.  
 Instit.

gium quidem; sed à majoribus partum bonum. Et quid, quæso, proderit posteris, nisi majorum memores ipsimet virtutem obviis, quod dicitur, ulnis amplectantur, & gloriam laudandis factis venentur? Majorum gloriam, & splendorem ignobiles tales mente, gentis nobilitatem tantum crepantes, densissimis involvunt tenebris, & ita omnium rerum ignarissimi, toti familiæ labem, atq; infamiam aspergunt, atro carbone, quod ipsi heroum quidem filii, sed noxæ sint, qui secum patriam inextricabili involvant pernicipi, notati. Quæ autem, quod olim, & hodie tam multi nobili orti loco avitas, paternasq; flagitiis obruant imagines abominandis, sint causæ; mihi, Iliada post Homerum scripturo, nunc explicatiùs circa finem tradere, religio. Certissimè omnes, quotquot hoc ulcus tetigerunt, in educatione vitium posuerunt uno ore unanimes: à quibus & ego calculum non invitus mutuor. Ideoq; nobilium Parentes, & Curatores constituti, ut mores probos induant à teneris suæ fidei commissi, dispicient sedulo. Quod si sectis fiat, macula in primis annis contracta nunquam post potest elui; sed ex ephebis excedentes tales nobiles jugo excusso in perversos planè evadunt homines, qui Deum, verbumq; ejus sanctissimum pedibus calcent, magnos sibi animos sumentes nil, nisi superbiam, spirent, nullum vitium formident, parentum curâ, atq; sudore partas pecunias citissimè decoquant, per dies, noctesq; ludendo, potando, commessando, gulæ serviendo, scortando, aliisque inhonestis rebus, quarum vel meminisse piget, operam navando strenuam; parum curâtes, an nobilissimi, an ignobiles ipsis, & obscuri fuerint parentes, atq; majores. Sed mihi per Dei gratiam longè alia mens. Nempe paternum splendorem, si vires ille benignissimus Pater, vitamq; concesserit, impigrè, legitimèq;

æqua

Ze 3615. 6A

æquare, stat sententia. Quâ de causâ hæctenûs hoc in Gy-  
mnasio per quadriennium fermè literis operâ dedi pro vi-  
rili, & nunc Academiam salutare, svadentibus, quos meam  
sollicitos habere salutem sat exploratum, animo constitui.  
Faxit modò Deus, supremus Rector olympi, ut omnia mea  
incepta, atqve incipienda cedant in Nominis sui gloriam,  
& meam, perq; me olim patriæ, prosperitatem omnige-  
nam. Benedicat ille studiis meis omni tempore clemen-  
tissimè. Benedicat animæ, benedicat corpori: Donet  
vires, donet iudicium, donet sapientiam, atq; cognitio-  
nem, donet Spiritum Sanctum suum ad omnia largi-  
atur expedienda, sufferenda.

D I X I,



lona

MC



lie.  
EM  
R-  
en-  
ais  
nus  
am  
ad-  
sa-  
er-  
issi-  
ha-  
oi-  
bo-  
ntes  
de-  
om-  
du-  
ret,  
on-  
vid  
ita-  
. V.  
V.  
US.  
oid  
b  
nd  
IA

OR  
NOBIL  
GE  
GYMNA  
BEH  
COLLEG  
TUB  
PERM  
PUBL  
CHRISTIANU  
A. Sc  
TYPIS. B

516 7

